

ditis nobis ad maiorem famam suis et receptis nostris et eorum litteris generalibus patentibus super eo, hoc tamen de communi consensu specialiter ordinatum, tractatum et provisum extiterit, quod prefatus dominus noster Ludowicus Romanorum rex virtute predictae colligacionis generalis nobis contra Fridericum ducem Austrie eius fratres et adiutores in hac parte dumtaxat et contra nullum alium astare tenebitur. Harum testimonio litterarum nostri sigilli robore signatarum.

Dat. Bacheraci, anno Domini MCCXVII, X. Kalen. Iulii.

Auf der Rückseite: Regi Rom̄. Mit verletztem Siegel am Pergamentstreifen.

XLIII. Privileg König Friedrichs für den Grafen Reinald von Geldern. 1317 Aug. 1.<sup>1</sup>

Or. Hausarchiv K. 41 L. 4 n. 59.

Fridericus Dei gratia Romanorum rex semper augustus universis sacri Romani imperii fidelibus presentes litteras inspecturis | gratiam suam et omne bonum.

Totiens regie celsitudinis sceptrum extollitur altius et ipsius status solidatur solidius, quotiens fidelium devotorum vota benigno respiciuntur affectu et ad ipsorum iura et gratias servandas gratiosa protectio principis invenitur. Cum enim omnis gloria sive principatus potentia in subditorum precipue consistat solidata fortunis, expediens arbitramur et condecens, ut simus subiectis et in iusticia faciles et in gratia liberales. Noverint igitur universi, quod nos integre fidei puritatem et sincere devotionis constantiam, quibus illustris Reynaldus comes Gelrie princeps noster carissimus erga nos et sacrum Romanum imperium sinceris et laudabilibus claruit actibus, hactenus gratiosis oculis intuentes, considerantes quoque benignius, quam grata quamque fructuosa nimium et accepta dive recordationis nostris progenitoribus et predecessoribus in imperio impendit obsequia et adhuc impendere poterit gratiora, devotis suis supplicationibus benignitate solita annuentes ac volentes suis iustis petitionibus tam benignum prebere consensum, quod sua devota fidelitas et fidelis devotio promptiori studio ad ea, que honoris sunt imperii atque nostri, ferventioribus animis se disponat, omnia privilegia,

1) Bisher nur gedruckt die Urk. der Erhebung in den Fürstenstand vom gleichen Tage, deren Original sich gleichfalls im Hausarchiv unter n. 61 befindet, bei von Spaen, Inleiding II, 94 nach Abschrift von Gelenius. Böhmer, Reg. Friedrichs 103.